



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

SS. Cosmas Et Damianvs 27. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

erò iras
Magistro
n palam
nqueli
re, ipse
c in exi-
ullien-
ique &
gini ju-
hoc est
ureale.
corporis sanitatem duntaxat quærit, & quo pravi habili-
us in naturam degenerarunt? cave! Deus subtrahet
gratias. Latro in cruce modò conversus est ad Do-
minum; sed hoc quoq[ue] consideremus, eo tempore
convertisse se ad Dominum, quo omnes penè defece-
rant à Domino. Et quam hæc difficilis ac miraculosa
conversio?

3. Si conversionem tuam ad mortem distulisti,
quomodo certus es mortem tuam non fore subita-
neam. Quis in illo mortis articulo promisit tibi sani-
tatem mentis? & qualis hæc pœnitentia vitia detesta-
ri, cùm vitiis indulgere non possis?

SS. COSMAS ET DAMIANVS

27. Septembris.

*Infirmos curate, mortuos suscitare,
leprosos mundate, dæmones ejici-
te, gratis accepistis, gratis date.*

Matt. cap. 10.

ARABIAM felicem esse oportuit, quæ tam
salubrium Medicorum patria fuit. Ur-
be Ægea gemelli nati, tres insuper habuere
fratres, & gloriozæ mortis eosdem socios.

O 3

COS-

COSMAS & DAMIANVS medicinæ per-
tiam ex libris, & cœlo virtutem sanandi acc-
pere, Anargyrii dicti, quod sine pretio ægi-
mederentur. Adeò ut C O S M A S rogante,
cùm munus admisisset aliquod, irato inde
fratri per ipsum Christum placari debuerit.
Lysias loci prætor gentilis cùm ob miras
sanationes magiæ sanctos arguisset, alapis
fædè à dæmonibus contusus, habuit co-
fdem, quos injuriâ læserat, soteres. Cre-
vit tamen inde Barbari in cœlestes holcas
Medicos sævitia: capi cum fratribus jussit,
&, quia idolis honorem negabant, obrutos
ferro, vincosque in mare dejici: sed cum
Angelico ministerio soluti enatassent, atque
etiam postridie in igne divinitus illæsi persi-
tissent, quin & equuleo torti coelitus recrea-
rentur, crucibüsque affixi cum lapidibus &
saxis frustrà peterentur, saxis telisque inja-
centes, cum multorum nece, resilientibus,
rabie spumans ultimâ, usitato tyrannorum
desperantium more, capite ut plecterentur
imperavit. Corpora geminorum gloriola
Roma primum, postremò nunc Mona-
chium servat, & Sanctos jam indigenas, ut
cœlestes civium suorum Medicos in reliquiis
ab Anno M DC XLIX veneratur, *Brev. Baron.*
I. 2. annalium Ribadineira.

ME

M E D I T A T I O.

*In sua quisque vocatione saluti sua
consulere debet.*

1. **U**Nusquisque suā in arte vult aliis arrecessellere ; & ideo nulli labori parcit ; sed dies noctibus improbo labore jungit, ut tandem peritis fiat peritus. Quid tam pauci Christiani conditionis suā perfectionem æmulantur ? imò multi interdum dissimulant esse se Christianos, non quidem metu mortis inter infideles, sed scommatum, seu dieteriorum inter fideles. Opifex artem suam quantumvis humilem palam exerceat. *Et nemo se cognoscit Christianum.* Tertull.

2. Labor tuus Christianus esse debet, hoc est, congruens Christi voluntati. Quare oportet, ut eum quotidie Deo offeras, ipsique sanctè pollicaris, illius ergò duntaxat te laboraturum esse. Hoc si manè quotidie feceris, promissi memor, laborem DEO consecratum peccato non contaminabis.

3. Quotidianæ actionum tuarum oblationi pium aliquid opus accedat, necesse est, in quo, vel soli Divinæ gloriæ servias, vel subleyes miserorum paupertatem : hoc potes, in quolibet vitæ genere. *Dæ pauperi ut des, quia quidquid dederis pauperi, tu habebis quod non dederis, habebit alter, Chrysost.*

S. WEN-

ME